tur populus cepit murmurare contra moysen et aaron dicens
Vos interfecistis populum domini. Cumque vellent eos la-
pidibus obruere ad thabernaculum fugierunt et operuit
eos nubes et apparuit gloria domini. Et egressus est ignis
a domino et devoravit ex eis xiiij milia et cccc homines
Dixit itaque moyses ad aaron. Tolle thuribulum
et hausto igne de altari pone desuper thymiama per-
ge cito ad populum et ora pro eis dominum. Accurrens
aaron cum thuribulo stansque inter vivos et mor-
tuos oravit et mox cessavit plaga. Iste aaron
significat xpm qui assumpto thuribulo humanitatis
igne scilicet et animam fecit inter angelos viventes
per gratiam et homines mortuos per peccatum et sic orans
in cruce cessavit plaga ignis id est offensa dei
a populo. Secundo venit tanquam bonus pastor ut
fugitivas revocaret. Unde ne eius pastore ab-
horreret accepit pastor formam ovis. De quo Joh x°
Ego sum pastor bonus et luc xv° Quis ex vobis
homo qui habet centum oves. Hoc figuratum fuit in
deuteronomii penultimo ubi sic dicitur. Separa-
vit moyses tres civitates refugii hec causa ut
talis si quis nolens hominem occidisset confugisset
ad aliquam earum ubi a consanguineis occisi se-
curus esset et tamen non audebat exire civitatem illam
et domum redire nisi post mortem summi sacerdotis
Et tunc securus potuit redire ad propria. Sic est in
nobis peccatoribus offendebamus cito in hoc
quod naturam animam nostram occidebamus per peccatum
et eramus expulsi de nostra civitate paradisi
et exsules fuimus in exilium huius mundi et redire
non potuimus nisi mortuo summo sacerdote scilicet